



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iudicium Philippi Melanthonis De Controversia Coenae Domini

Melanchthon, Philipp

Ratisponae, 1560

VD16 M 3533

Lvtheri Qvaedam Dicta, Ad Commonefaciendum lectorem &
confirmandum iudicium, aduersus consilium & sententiam Philippi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29449

LVTHERI QVAE

DAM DICTA, AD COMMONEFACIENDUM LECTOREM & CONFIRMANDUM IUDICIUM, ADVERFUS CONSILIUM & SENTENTIAM PHILIPPI.

GEN. 6.

DIXIT DOMINVS: NON IVDICABIT SPIRITVS MEVS IN HOMINE PERPETVO: QVIA CARO EST.

Lutherus.

Summa hæc poena est, quam hoc loco Dominus per os Sanctorum Patriarcharum minatur, q̄ non sit iudicaturus amplius per Spiritū suum homines, hoc est, q̄ cum frustra sit omnis doctrina, nolit posthac verbum suum hominib. dare.

Hanc poenam etiam nostra tempora Germaniæ adducent. Videmus .n. q̄; festinet Satan, q̄; sit inquietus & omnia tentet, quib. verbum Dei potest impedire. Quantum Sectarum excitavit nobis viventib., & omni studio in id incumbentib. vt puritas doctrinæ retineatur? Quid futurum est nobis mortuis? Profecto tota agmina Sacramentariorum, Anabaptistarum, Antinomorum, Seruetianorum, Campanistarum, & aliorum Hereticorum producet, qui nūc victi puritate verbi, & assiduitate piorum Doctorem, latent, in omnes occasiones stabilientium suorum dogmatum intenti. Ergo qui verbum purum habent, discant id amplecti, & pro eo agere Domino gratias, & quærant Dominum, dum potest inueniri &c. Et paulo post.

Vocabulū hoc, Iudicare, proprie pertinet ad ministerium,

steriū, & id quodāmodo pingit. **OMNIS. N. PRAE-
DICATOR SEV VERBI MINISTER, EST VIR**
rixarū & iudicij, ac cogitur ex officio reprehendere, quic-
quid vitiosum est, nō habita ratione vel personæ, vel offi-
cij in auditorib. Hoc cum Ieremias sedulo facit, nō solum
odium, sed etiam pericula grauissima sustinet. Mouetur
igitur ipse quoq; ad impatientiam, vt optet se nunq; esse
natum.

ANNOTATIO.

HIS pulchre congruit iudicium Philippi scz, iubentis
rixantes pro cōseruatione veritatis pios Doctores,
aut mutos esse canes, aut exules à suis Ecclesijs.

Ac sentiunt quidem homines carnales, politici &
hypocritæ, delicati, nostri sancti et martyres, vt vulgò lo-
quimur, eum esse optimum statum, Euangelium habere,
& saluos fieri, vt nemo rixetur, nemo iudicet, nemo ar-
guat. Sed ea est ipsiss. pœna, quam hoc loco minatur Do-
minus, quando definit arguere, & Philippus hīc vehe-
menter suadet, iuber ac docet accersere. Nos autem
meminerimus regulam, ex hoc loco Genesis, q̄ qui mini-
sterium verbi Dei volunt habere sine iudicio, sine rixis,
sine contentione, aut nullum prorsus habebunt, aut in-
syncerum, aut infructuosum.

LVTHERVS VLTIMA CONFESSIO- ne sua contra Sacramentarios.

MArpurgi in Colloquio cedebant tantum, et largie-
bantur, nō mera esse symbola panis & vini in Cœ-
na, quod summa contentione ad id vsq; tempus conten-
derant, sed corpus & sanguinem Christi etiam ipsum ad-
esse, **SPIRITVALITER VCZ, NON ITEM COR-
PORALITER.** Ac ne hoc quidem eos subleuabat
quicq;

quicq; Nam spiritualis manducatio tantum est creden-
rium, iusticatorū sanctificatorum: Paulus vero utrosq;
dicit participare corpori & sanguini Christi, dignos iuxta
ac indignos. I. Cor. II.

ANNOTATIO.

Memorabilis sentētia, digna obseruatione, propter
recentiores iam Cinglianos, qui rudiorib. imponunt hac
ambiguitate: Corpus & sanguinem Christi vere adesse
in Cœna, nequaq; abesse. Si spectes interpretationem,
idem ipsis est, quod hoc loco dicitur, adesse spiritualiter,
non etiam corporaliter, secundum virtutem, non secun-
dum substantiam. Atq; eadem hæc ipsius, Philippi sen-
tentia est in toto hoc scripto.

Sunt qui Acta huius Colloquij pro transactione
citant, & consensione, q̄ Lutero conuenerit cum Cin-
glianis, ad eam Confessionem ipsorum. Hæc q; sit va-
nissima gloriatio, ex ipsiusmet verbis hîc clarè intelligis.

EX EADEM CONFESIONE

aliquanto pòst.

Eodem numero omnes censeo, quicunq; sunt, qui
non credunt, Dominicum Panem in sacra Cœna, non
esse verum & naturale eius corpus, quod Iudas atq; im-
pius perinde accipiat, ac Pe rus illud accipit, & accipit
quisq; pius. Hec qui non credit, missum me faciat, nec
cōsensionem, amicitiam, aut cōmercia inter nos speret.

ANNOTATIO.

Prodest hoc dictum, perspicue & grauitè vrgens
Christi verba & interpretationem, de vera veri corporis

D 3

eius

eius præsentia, contra Philippum. Quod Philippus ergo
Bremenses & Heshusium subsannat hoc loco, ac reijcit,
in primis subsannat ac reijcit Christum, & nostro iam
tempore Lutherum.

Prodest deinde ipsum hoc dictum, ad erudiendos &
monendos pios, quid faciendū sit de societate cum Cin-
glianis, præsertim obstinatis & pertinacib.

RVRSVS IN EADEM CONFES- sione, sub initium.

PRæter reliquos (memoratos scz novos Spiritus) sin-
gularis quidē oberrabat Sanctus Spiritus (Diabolus
.n. sanctus est, & magnus Spiritus) Ille aiebat: non esse
hoc loco articulum fidei, nec contendendum esse propte-
rea, non referre, quid quis credat. Spiritus hic sanctus
nuper mihi videtur esse natus Patre Spiritu Sancto ipsius
Stenckfeldij. Pulchre .n. seruat Regulam Stenckfeldij,
(paulo antè à Luthero recitatam: Remouenda è conspe-
ctu esse verba Christi, q̄ sensum spiritualem impediunt)
Atq; ipsa Christi verba non solum eripit è conspectu, sed
& retrò abijcit, cumq; eis fidē simul & reliqua, cassæ nu-
cis instar, nec aliud ex eis facit.

ANNOTATIO.

Hoc dictum recenseo propterea, vt intelligas lector,
fuisse etiam prius qui censuerint & suaserint, quod Phi-
lippus hîc censet, verba Christi ex oculis esse remouen-
da, aut sepelienda.

Recenseo etiam vt cōmonefaciam de incertitudine
doctrinæ Sacramentariorū, q̄ ipsi nunq; cōuenerint inter
se ipsi, de vna aliqua certa sententia in hoc articulo, vt
multas eorum opiniones & diuersas, ibidē ordine recen-
set Lutherus. Item

ITEM SVB FINEM CONFSSIONIS

Simili ratione Sectarios non iuuabit, q̄ multa garrunt de spiritali mādicatione corporis & sanguinis Christi in Cœna, de charitate & vnitate Christianorum inter ipsos: Quæ aliud nihil sunt, q̄, folia fici, quib. Adam & Heua peccatum & turpitudinem suam celare studebant, & ornare. Nec magis iuuabunt, multi & magni labores ipforum, quos docendo, scribendo insumperunt, morum grauitas, castimonia vitæ. Quæ gentilib. adhuc communia sunt. Ad hæc frustra est etiam, q̄ Deum Patrem, filium & Spiritum Sanctum, & Christum saluatorem credunt, frustra, inquam, sunt omnia, cum omnib. insuper alijs articulis, quātumuis recte, citra errorem eos assumunt, vt loquitur Psalmus, per os suum impium & blasphemum: Dum vnum hunc articulum negant et impugnant, quo Christus de pane Eucharistiæ inquit: **ACCIPITE, EDITE, HOC EST CORPVS MEVM, QVOD PRO VOBIS TRADITVR.**

ANNOTATIO.

Hæc ipsa iam est recentium Cinglianorum perpetua oratio, cōmendare vsu huius Sacramenti, communicationem spiritualement cum corpore Christi, vnitatem Ecclesiæ & concordiam: Discipulorum vna oratio est, & gloriatio, narrare dona magistrorum suorum, merita in Ecclesiam, doctrinæ synceritatem: De quib. hîc habes, quid Lutherus respondeat.

F I N I S.